



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Sardiniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69709](#)

Visual Library

que ferunt ad panem & obsonia, quæ darentur, recipienda: vnde tandem singulis contribuentibus, copiosa collecta est eleemosyna, & recreati pauperes, atque animati, vt deinceps non solùm ventri, sed menti etiam melius consulerent. E vinculis soluri nonnulli, qui ære alieno pressi, pædere carceris contabescabant; & cum celebris summi Pontificis indulgentia promulgaretur, non solum ciuibus satisfactum patientissimis laboribus, sed & ad vinitoru[m] colonorumque casas & tuguria itum, ne tanti thesauri spiritualis pretio, genus hominum quasi ad bestias & agros damnatum fraudaretur. Sunt autem illo agro frequentes huiusmodi domus, & rarissimus sacramentorum vñsus, ita vt opportuna ad modum, ne dicam necessaria nostrorum hac ex parte solicitude fuerit. Nonnulli arctioris vitæ semitas professi, religiosa adauxerunt cœnobia: tres in Societatem admissi.



## P R O V I N C I A S A R D I N I A E.

S A R D I N I A Prouincia, socios hoc anno quadraginta supra centum recensuit: Saffari quatuor & quadraginta: Carali octo supra quadraginta: in Tyronum domo sex & viginti: Ecclesijs vñdecim: Alguerij duodecim. E viuis excessit vñsus, accessere ad Societatem decem.

C O L -

# COLLEGIVM SAS. SARITANVM.

**O**MNES, qui ē societatis solent ministerijs, fructus erupēre hoc anno; quæ res tamētī magnæ, quoniam vſitatæ, omittuntur. Nobilis femina moriens aureos quingētos annuos collegio legauit. Crescit indies erga beatum P. N. Ignatium pietas. Quidam lātali affeūtus vulnere penque destitutus, sacerdotem nostrum accerit, riteque detersis confessione peccatis, voto se perpetuo, vnā cum vxore deuinxit, fore ut pridiē eius diei, quo beati Patris memoria felicissima recolitur, Ieiunio; festum verò deinceps, peccatorum expiatione, ac sacræ synaxis perceptione veneraretur. Moribundo affulsi diuina Bonitas, voto enim nuncupato, & melius habere cœpit, sanitatemque petenti breui donatam vidimus. In simile vitę discriben adductus alter, plaga nimirum mortifera secundum stomachum accepta, humanique remedij inops, ad beatum P. animum & vota conuertit, expiatisque peccatis apud nostrum sacerdotem vouet, moxque sanitatem diuinatus acceptā beato Patri refert. Parthenici sodales, quorum in hoc collegio quatuor extant sodalitia, & numero, & pietate vigent. Ex his tres in nostrum ordinem delecti, cooptatique sunt.

**I**NSTITUTA primū hoc anno pénitētium veluti cōgregatio incredibili animorum studio ac cōtētione se, in templo nostro, diuerberantum sexta quaque feria. Discipulorum studia varijs excitata modis, quibus, & auditorum numero, & fructu maxi-

maximè florent. Promotus hoc anno ab Algueritana Ecclesia, ad Sassitanam metropolim Antifites, cuius extant in societatem merita, nec pauca, nec obscura. Hęc sanè promotio duplē populo lętitiam peperit; alteram pastoris optimi, ac vigilatissimi aduentu iucundissimo; Alteram vero concionatorum nostrorum restitutione; quippe aliquot ab hinc annis ex nostris nullus, neque in æde principe, neque in tota fermè diœcesi Turritana audiebatur pro suggestu, cum animo esset à nobis perquam abalienata Archiepiscopus, quæ res populo certè nostri amantisimo, & inuisa, & molestissima erat. Igitur à nouo Archiepiscopo inuitati perhumaniter nostri frequenter, ut de more pristino ad populum conciones habeant; tum vero per sacros ieiunij dies, in templo maximo cōcionatos, maxima totius ciuitatis lętitia est cōsequuta, & incredibilis profecto morum facta permutatio.

N o v v m Archiepiscopum ciuitatem primo adeūtem, Senatu, nobilitate omni, frequente populo comitatum, omnibus fermè carminum generibus, plurimis ingeniorum monumentis, ac insolito quidem apparatu exceperunt nostri scholastici, ingenti omnium approbatione; quibus Illustrissimus delectatus maximè, sed commendauit imprimis græcam linguam, quam ipse per pulchre callet, nō vulgariter gratulatus quum studijs eiusmodi nostros vacare auditores accepit. In sacro illo iubileo, Romæ superiore anno à Sanctissimo Paulo quinto transmesso, apud nos conscientias expiarunt innumerabiles, quod illi confirmarunt, qui sacrum iniere conuiuum in æde nostra, quorum certè numerus repertus supra sex millia. Templi ædificatio, piorum opibus,  
atque

atque Ampurienfis imprimis Episcopi adiuta & aucta, vt breui ad fastigium peruentura sit. Nouo Archiepiscopo diœcesim obeunte, sacerdos è nostris socius adscitus, nec parum, nec frustra labrauit ; populi namque, nostrorum studiorum amantissimi, illud desiderabant maxime : quorum licet plurimi Sastarim , Collegium nostrum adibant, id nihilominus tamen, summo eorum desiderio non erat satis; vnde fiebat, vt Bosanensibus, alijsque populis inuiderent eam, quam ipsi felicitatem, optimaque fortunam appellabant. Utigitur ad Bolanensem deueniamus missionem, vicina ea est ciuitas Sastaranæ , ita in nostrum amorem excitata vt a Collegij fundatione abduci minimè possit; eoque magis ciuium, & que & Cleri, desiderium increuit, quo fructus, ex nostrorum consuetudine, fuere maximi in concionibus, confessionibus, Christianæque doctrinæ institutione, quae pueri, pariter & adulti, quatuor in locis imbuti fuerunt. Excusum inde in circumiecta oppida, in quibus nostri eadem charitatis munia, magno cum animarum fructu obiere; coloni etenim impigri operam, in rudibus ingenij ad pietatem informantibus, posuerunt peregregiam. Vitia longo tempore inolita, vt rudi in gente necesse est, multa sublata; sui officij parochi admoniti; denique ad sacramentorum frequentem usum , aliaque pietatis officia assumenda, permoti adeò populi, vt illud ipsi met admiracioni esset maximæ.

COL

**COLLEGIVM CA-  
RALITANVM.**

CARALI pia nostrarum meditationū exercitatio, non modo firmauit domesticos, sed externos quoque scholasticos nostros ad sanctius vitæ genus renouauit. Vbi primū culparum plenaria remissio, dato iubileo, fuit indicta, ciuium frequentia incredibilis fecit, ut in multam noctem confessionum opus, per totos illos dies, extrahendum fuerit. Confluxit enim illustrissimorum imprimis nobilitas, atque ex equestrium, aliorumque ordinibus, tam multi, ut vix sacerdotibus quindecim vacui temporis quippiam à confessonibus excipiendis esset, quarum plurimæ fuerunt totius vitæ.

A d catechismi disciplinam, quæ cum cantus suauitate à nostris scholarum magistris, in teneros animos facillime influit, non pauca accessio facta est. In gymnasijs, amplius sexcentis auditoribus, nō inutilis opera data; ex his multi, & ad nostram, & alias religiosorum familias, se aggregarunt. Auctus hoc anno scholarū numerus adiecta Theologia quam scholasticam vocant. Quatuor sunt in hoc collegio sodalitia, scholasticorum duo, nō scholasticorum verò totidem; alterum nimirum ex regijs consiliarijs, & nobilitate reliqua; alterum ex honestissimis ciuibus. Pluuiia igitur cum longo tempore desideraretur, ut satiuo propè clapsō, fermentem agricolaꝝ nullam facere possent, maximis in miserijs, supplicationes indictæ multæ; tum quadraginta horarum preces, proposito in pio-

V rum

rum hominum congregationibus sacro sancto Christi corpore solemnis ritu, tum vero nostri auditores, tametsi communes supplicationes furent prosecuti frequentes, proprijsque in facili idipsum precibus à Deo, corporumque diuerberatione, efflagitarunt; tamen, ut suam quoque supplicationem per urbem traducerent, decreuerunt. Quamobrem expiatis confessione peccatis, ad statutum diem conueniunt in templo nostro, ubi eo ipso die, pios animos sacro pane refecerant, linteis omnes tunicis, ipsisque sacerdotalibus induiti, (scholastici erant supra quingentos) capit pullatis operiunt velis, nudis pedibus, bini acbini, iusto quidem ordine procedunt. Puerorum agmen composito gradu praebat, eā modestiā, quantum religionem decebat, sacrosancto crucis vexillo duce; ijdemque pueri tam pio suauique concentu Sanctorum preces decantabant, ut incredibilem spectantibus pietatem, & lacrymas excitarent. His proximus incedebat natu maiorum ordo, ferreis alij catenis astricti; alij ponderosis oneribus grauati, multi etiam flagellis cruentati supra modum, ad eliciendam pietatem: sacerdotum deinde chorus, cum musicis alternis vocibus Deo laudes modulabantur: ponē tandem nobiles quidā ex partheniacis sodalibus, quorum multi scholasticos commilitones in re admodum pia sunt comitati, tunicis pariter linteis superinduti, Christi Domini pendentis simulacrum, opere quidem arteque perfectum, quod in nostro Collegio, incredibili religione colitur, humeris pie admodum protulerunt; ad cuius conspectum prouoluti effusèque collacrymantes vniuersi, Diuinam vocibus misericordiam implorabant, ac facibus

facibus innumeris circumfusi prosequabantur. Supplicationi aderat, cum nobilitate reliqua, Illustrissimus Prorex, regisque consiliarij, cum accensis omnes facibus, pietate ac religione tanta, ut ferreos quosque animos permouerent. Longissimum erat agmen, à templo nostro, in Principem ædem (spatium profecto, si quā itum est consideres, mille circiter passuum creditur) in biuijs, quadruijsque cantores, pijs quibusdam motetis, ad pietatem vehementer commouebant; viæ ac vici, qua erat iter, atque domorum fenestræ, ad rei nouitatem, confertam spectantium multitudinem non capiebant. Illatum denique sacrum illud, ac venerabile simulacrum in ædem principem, aræ maxime, ceremonia solemini, tantisper imponitur: tum psalmo pœnitentis Regis ac vatis, a musicis maxima pietate decantato, dimissoque à templo puerorum agmine, pericitantum sanè in tanta multitudine, quam templum capacissimum capere nullo modo potuit, geniculati omnes, atque ipse Illustrissimus, cum regijs consiliarijs & nobilitate concionatorē è nostris audiunt; tanta spiritus vi, & lacrymarum copia dicentem, ut nullus à fletu & gemitu temperare posset. Demum vocibus diuina implorata misericordia, discedunt in nostram ædem, vnde sereno cælo sub vesperum, ac propè solis occasum profecti fuerant, & signa diuinæ Clementiæ ipsos sunt prosecuta, pluia nimirum eo ipso tempore, descendente. Verum ut summo rerū auctori quam maximas agerent gratias, & necessarium atque copiosum, vti desiderabatur, imbré, longius omnes efflagitarent, in facello apprimè ad id composito, per totos ipsos in sequentes dies, sacram Christi Crucis affixi spe-

ciem venerādam Collegio nostro aperuimus; ne  
diu deprecantium vota distulit summa Bonitas,  
imbribus videlicet, non quidem serotinis omni-  
no datis effusè, sed quantum annonæ felicitas, eo  
anno minimè expectata, comprobauit. Est præ-  
terea in energumeno factum periculum exorcis-  
morum, sed irritata, initio præsertim, non fracta  
dæmonis perucatia est; intellectum tamen, &  
quanto in humanum genus odio sit cruenta illa  
fera, & quantum in ecclesia virium aduersus tan-  
tareas phalanges: rei seriem breuiter exponam.  
Non procul ab hac ciuitate quadā in crypta, pau-  
perem vitam traducebat quidam latomus, vna  
cum vxore ac liberis, quem ibi teterimus inuasit  
hostis, misereque diuexabat, ut multi perterriti  
diffugerent. Furibundum hominem, dæmonis  
speciem præferente in potius quam hominis,  
tres robustissimi homines deprimere vix pote-  
rant. Vocati fuerant prius sacerdotes religiosi vi-  
ri, ex varijs familijs, qui tamen omnes, post lon-  
gissimam contestationem, domum sanitatem de-  
sperates abibant: accersitus denique noster sacer-  
dos, quem ut præsentem vedit malus ille, excru-  
ciare grauius miserum hominē cœpit, & in sacer-  
dotem expuere, in quem etiam irruere frustra ten-  
tauit, sæpiusque irruisset, ni à tribus illis repre-  
metur: lustralem aquam sibi admoueri non pati-  
tur, quin horrendis magis agitatur intemperis:  
vbi à sacerdote pia quedam audit verba, tum vero  
maximè in sacerdotem excreare, atque in illum ir-  
ruere conatur. Bonam diei parte in lucta, atque  
imprecationibus sacerdos noster cōsumpsisse sibi  
videbatur. Et quoniam nox aduentarat, discellum  
parabat, redditurus nimirum postridie, ad bellum

infer-

infernalis expugnationem, instructior: sed ante discessum, Beati Patris Nostri Ignatij, quas apud se habebat reliquias in theca, malo quamvis inuitato, atque reluctante, capiti admouit. Res mira! qui antea neque caput attollere, neque sacerdotem aspicere volebat, probris eum, atque maledictis proscindens; ubi primum admotæ reliquiæ sunt, horrendis clamoribus domum impleuit, tandemque post aliquantam vexationem, liber ab hoste relictus est; posteroque die sanus, atque incolmis ad latomiaæ labores se contulit, idemque post aliquot dies cum patre egit de virtù bonæ ratione instituenda.

## DOMVS PROBATIONIS CALARITANA.

LABOR in tyronibus instruendis, exercendisque aliquot veteranis, positus domi, manauit foras ad utilitatem salutemque multorum. Tenera etas catechismo imbuta, eademque opera, Mauri pueri quatuor, qui religioni Christianæ primò aduersabantur magnopere; nostrorum tamē cōsuetudine allecti, atque instructi, demum Sacro baptismatis fonte lauati. In Societatem cooptari decem. Nouitij præclara in solidis virtutibus comparandis, sui tyrocinij rudimenta posueri; peregrinationibus in primis, ex Societatis instituto, eorum paupertas exercita est, non sine virtutis illorum, diuinæque prouidentiæ argumentis. Neque ipsis modo peregrinatio vtilis, sed alijs quoque salutaris exitit. Nam & in via, & in pagis, vbicumque se offerebat occasio, adultos

V; quæ

què ac pueros catechisimum docuerunt, aliaque  
ipsis salutaria præcepta tradiderunt. In valetudi-  
nario iacentibus, tyronum officium defuit mini-  
mè, adlaboratum enim strenuè apud eos, atque  
animis corporibusque pro viribus subuentum.  
Excursiones in proxima oppida factæ à veteranis,  
qui licet vberes reportauere fructus, quia tamen  
comunes supersedendum his censeo, ut ad singu-  
lares aliquos deueniamus, quos ex vicis, locisque  
vicinioribus, tum verò ex ipsis ciuitatis plateis,  
retulerunt nostri tyrones. Cœptum denique hoc  
anno domus ædificium, nec desiderata piorum  
erga nos benevolentia, qua breui angustiam no-  
stram laxandam speramus.

---

## C O L L E G I V M   V A L - L E C C L E S I E N S E .

**I**N C R E V I T Sodalitas hoc anno primiorū  
numero, atque frequentia, & magna vulgi-  
dificatione, & Sodaliū existimatione. Collegij  
inopia subleuata, tum æris accepti remissione no-  
bis facta, tum verò multorum aureorum largitio-  
ne; benè quippe animata erga nostros est ciuitas,  
omnes tamen eius diæcessis Archipresbyter libera-  
litate antecellit, cuius assiduæ sunt eleemosyna,  
tantumque Collegij inopiæ subleuandæ deside-  
rium, ut credi vix possit: hinc rusticō prædio no-  
bis superioribus annis donato, saltum quoque  
siluestrem adiunxit, aureis trecentis estimatum.  
In eunte quadragesima facta est missio in oppidum  
Cullerense, nostræ societatis cupidissimum. Vix  
se dedit pater cum socio uno atque altero ex no-  
stris,

stris, quem sibi comitem aduinxerat viæ peritissimum. Sed ecce dum lutosum euadere cupiunt inter, in rapidum atque lapidosum incidūt fluuium, qui pluuialibus aquis solito magis intumuerat. Vię igitur comes ac duxtor, vt animi vigore præstebat, ita periculum animosus prætentabat; donec impingente grauiter equo, vna cum eo longe sub aquas abreptus est: alterum ex stapiâ pedem non eduxerat, ira vt actum de illo crederetur: auxilio vero cum nullus præsto adesse posset, socij tantū ex ripa I E S V nomen sanctissimum nuncupant, ac Beatum P. N. Ignatium supplices appellant; quem similiter aquis immersus, noster ille periclitans, retinebat, totoque affectu cordis, & quātum etiam per aquas licebat voce deprecatur. Mira profecto res, pedem à stapiâ solutum sentit, vique actus aliena (vt ipse affirmat) se & liberum, & propè ripam ad ingens saxum, reperit incolumem; recuperatoque protinus equo, ipse & socij à pastoribus edocti traiiciūt fluuium, incœptumque feliciter prosequuntur iter, Deo Beatoque P. Nostro gratias persoluentes. Porrò Cullerensis illa missio tale habuit initium, exitum verò feliçissimum. Magnus etenim extitit concionum fructus, quod vitæ totius confessiones auditæ confirmarunt; animorum dissensiones compositæ, atque iniustè acceptorum restitutions. Catechismum & in ecclesia, & in vijs, adulti similiter atque pueri edocti, tanta omnium admiratione, nostrique instituti amore, vt sacerdos quidam in has proruperit voces: O felix tellus, quæ similes habet viros! felices iterum eos appello, atque beatos, qui tanto perfruuntur bono. Prælucebat exemplo suis omnibus Comes Cullerensis, qui

Christianæ s̄epe doctrinæ explicationi intererant,  
atque ipsa Comitissa vxor, cum nobilibus nōnūl-  
lis feminis, & reliqua domus familia conuenient  
solita, incredibili omnium iucunditate, ac fructu.  
Quorum secundo rumore vicina oppida, eundem  
Patrem, allegatis ad eum primatibus, inuitant, sa-  
tisque pijs desiderijs factum, magno incolarum  
bono; namque auditis concionibus, vitam hono-  
stius instituerunt multi: quibus officijs, tāle omniū  
gratiam collegit pater, nihil vt ardentius expetat,  
quām vt ibi Societatis Collegiū extruatur, atque  
ad eam rem, libenterissimè omnia compromittunt.


## C O L L E G I U M A L- G V E R E N S E.

**V**NICVS in hoc collegio literarius erat lu-  
dus, auditorum omnium ordines, exercita-  
tionesque, ex posterioris instructionis præscripto  
cōplete&tens; itaque ludi-magister vñus, tanteq; mul-  
titudini, tamque varijs ordinibus satis vlo modo  
esse nō poterat. Alter igitur hoc anno additus, at-  
que in eius institutione scholę habita à nouo pro-  
fessore grauis, & perelegans oratio. Inter studio-  
sos, cuiusque mensis initio, Sanctorum memorias  
sortiendi mos inductus, diem verò illū celebrandi  
ratio ea est; mutuo amicis pridie inuitatis ad sui  
corporis diuerberationem, menteque die altero  
confessione expiata, inter missarum solemnia, qui-  
bus nimirum ex scholastico instituto interessent  
omnes solent, sacrum illi pignus accipiunt. Quod  
idem singulis mensibus, in templo nostro, tanta  
pietatis significatione suscipiunt, vt religiosos  
diceret

diceres adolescentes. Nam à sacro illo conuiuio modestia singulari, omnes Beatæ Virginis facel- lum adeunt, intra domesticos parietes constitutum, vbi horrendum illud atque diuinum recon- lunt animo mysterium, recitatisque Beatæ virgi- nis Lauretanæ litanij, pietatis munia quædam præfectus præscribit: cuiusmodi illa sunt, carcere- detentos, aut in xenodochio iacentes inuisere, Christianæ religionis capita edocere, interdum e- leemosynis iuuare: quod profectò adolescentes pij tanta prestant alacritate, ac studio, ut sapienter se piâ æmulatione contendere visi fuerint. Hoc sane tanto aliorum bono, quantum, non scholasticorum alterum sodalitiū præfert, quod anno superiore fuit institutum, vel potius ab isto scholasticorum separatum, atque erectum. Ita- que exemplo admoniti atque excitati admodum isti, corporis quoque diuerberationes in oratorio suscepérunt, vbi, per sacros iejunij dies, semel at- que iterum in hebdomada, sexta videlicet feria, & sabbato conueniunt. Societatis apud episco- sum æstimatio tanta, doctrinæque auctoritas, vt si quid grauius inciderit, illud neque nostris in- consultis decernat, neque decretum aboleri vn- quam permittat. Ipse aureos supra trecentos Col- legij bibliothecæ attribuit, vt in césu collocatis libri in communem usum quotannis coëmantur. Collegij ædificatio, que fuerat aliquantum inter- missa, renouata, Collegijque aditus, cum impluio amplissimo constructus, maximo externorum commodo, & nostrorum obseruantiae confirma- tione. Nouum Antistitem, ciuitatem primò ad- euntem solemni apparatu excepérunt nostri scho- lastici, versibus imprimis, varijs in ciuitatis locis recita-

recitatis, atque non multo post, Antistiti nouo perelegans, grauissimumque drama datum. Idem officij genus collegium & scholas inuisenti exhibutum à nostris, magna nostri ordinis existimatio-  
ne. Erat vulgatum à blateronibus quibusdam,  
& qui allatrate virtuti, pietatique ducunt honoris  
à nemine ex nostris moribundos adiri, quibus  
res non afflueret, atque, vt nobis sua bona lega-  
rent, omni opera curari. Hæc sanè hominum pessi-  
morum sententia, multorum voluntates à nobis  
abalienauerat, vt etiam in extremo spiritu consti-  
tuti, nostros accersere vererentur; & tamen in  
nosocomio iacentes, non minore quam antea un-  
quam studio adiuuare curabamus, moribundis  
verò etiā non vocati aderamus frequenter. Quan-  
obrem hoc in genere, vnum accidit iucundissi-  
mum sanè omnibus nostri ordinis amantissimis,  
quo etiam illi pessimam opinionem deposuerunt.  
Femina quædam magna rerum omnium age-  
state laborans, morti vicina decumbebat; hæc x-  
pius Collegij Rectorem nocte intempesta accer-  
sijt, cui semper Rector præsto adfuit, extrema po-  
tissimum nocte, in qua illa migravit è vita; nam  
Rectorem, sibi multum precibus prodesse dice-  
bat. Pater igitur, licet antecedentem noctem, a-  
pud quemdam ex primarijs ciuitatis, duxerat in-  
sonem, piæ feminæ desiderio, summa satisfecit vo-  
luntate; neque destituit, donec ad superos, vt  
credi potest, illa enolauit. Quin & peruagatus  
est ciuitatem tota nocte demortuæ propinquos  
quæritans, vt cadaueri nocte illa aedescent, una  
cum misellis quibusdam feminis, meticulois ad-  
modum. Illi ergo, vt pio admodum in opere stu-  
diosissimum Rectorem vident, admirati, com-  
men-

mendarunt magnopere, & prædicarunt deinceps apud omnes; hoc sanè factò aduersa illa, & falsa corruit opinio, tum verò nostri ordinis munia perspecta satis apud omnes extiterunt. Hoc tamen, alterum non dissimile, quod per eos ipsos accidit dies, longissimè confirmauit. Nam ex primarijs tres pecuniosi certè homines, Patrem ipsum Rectorem, desperata iam salute accersiere; multorum fuit opinio, eos magnas opes Collegio legaturos: licet enim ab ægrotis pater fuerit consultus in testamentis condendis, ipsi tamen, religiosis in ea ciuitate quedam testamento legaruntur. Collegio verò, etiamsi pater totos illos dies ac noctes ipsis adfuisset, atque ad extremam usque horam moribundos adiuuisset, nihil tamen reliquerunt. Quæ res admiratione affecit omnes incredibili; atque ut calumniosa illa opinio euansceret effecit, sed illud maximè, ut nostrum deinceps institutum religiosissimum venerarentur, ac in hac parte, singularem Societatis, in suis munijis obeundis, puritatem, sinceritatemque admirarentur.



## PROVINCIA PERVANA.

**Q**VONIAM hæc Prouincia adeo longe, latèque protenditur, ut à Nouo Regno Granateni (quod est supra Æquatorē gradus decem, quā ad Septentriones vergit) ad mille ducentas leucas, amplius etiam excurrat, usque ad Paragu-